

CAPUT IV.

DE OFFICIIS ET OPERATIONIBUS ANGELORUM.

ARTICULUS I.

DE OFFICIIS, SEU DE CUSTODIA SS. ANGELORUM.

78. *Nota.* Angelis *missionem* convenire, probat ipsum angeli nomen; eos a Deo sæpe missos esse, testatur Scriptura Luc. 1. 26., Act. 12. 11. etc. Est autem *missio* hæc duplex, *exterior* ad aliquod ministerium extra cælum exercendum: *interior* competit angelis superioribus intra cælum, dum ex mandato Dei angelos inferiores circa hæc ministeria illuminant. Disputatur inter Theologos, num angeli ex omnibus ordinibus mittantur? Affirmativa videtur Scripturæ Hebr. 1. 14., Is. 6. 6., Dan. 10. 13. convenientior; negativam tamen communius tuentur Theologi cum D. THOMA. Angelos aliquando deputari ad aliquorum saltem hominum custodiam, est de fide, et fatetur Calvinus ipse, quia hoc satis expresse revelatum est in Scriptura de Jacob Gen. 48. 16. de Judith c. 13. 20. de *fidelibus* Psal. 33. 8. et 90. 11., Hebr. 1. 14. Sed pro singulorum hominum custodia totidem angelos deputari, non æque certum esse, imo falsum dicit commentum Calvinus. Quamvis vero id non sit ab Ecclesia definitum, aut in Scriptura clare expressum, tanto tamen universalis Ecclesiæ consensu illud receptum, ait SUAREZ, ac in Scriptura, prout a Patribus intellecta, tam magnum habere fundamentum, ut sine insigni temeritate, ac fere errore negari non possit.

79. *Dico.* Suus cuique hominum, excepto Christo, a Deo datus est angelus ad tutelam.

Prob. Christus Matth. 18. 10. ait: *Videte, ne contemnatis unum ex pusillis istis: dico enim vobis, quia angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris;* ubi nota 1^o. in ipso textu dici, *angeli*, non angelus: et *angeli eorum*, non angeli simpliciter, quo significatur, cuilibet parvulorum datum fuisse proprium angelum custodem: 2^o. in eundem sensum interpretantur hunc locum HIER. et THEOPHYL. in Matth., ISID. HISPAL. Sentent. L. 1. c. 10. n. 21., PASCHAS. RABBERTUS in Matth. aliique; cum quibus quoad thesî consentiunt JUSTIN. qq. ad Orthod. q. 30. CLEM. ALEX. L. 5. Strom. ab Euseb. cit. (Præpar. Evang. L. 13. p. 670. A.), EUSEB. ipse Demonst. Evang. L. 4. (p. 156.), GREG. NYSS. de vita Mosis (opp. t. 1. p. 194. D. 195.), CYRILL. ALEX. cont. Julian. L. 4. (opp. t. 6. p. 122. seqq.), THEODORET. q. 3. in Gen. S. ANSELM. Elucid. c. 34. et alii, apud SUAREZ L. 6. de Ang. c. 17., omnesque Catholici Interpretes et Scholastici.

Conf. Ex communi persuasione *Ethnicorum* et *Judeorum*, apud PETAV. L. 2. c. 6. item fidelium Christianorum, quæ intelligitur ex verbis eorum

Act. 12. 13. ubi de Petro e carcere inopinato adveniente dicebant: *Angelus ejus est.* Dixi, excepto Christo, partim quia angelorum custodia datur ob intelligentiam hominum valde imbecillium ad finem ultimum consequendum, quæ nulla est in Christo: partim quia Christi Humanitas alteri excellentiori tutelæ, nempe Verbi Divini, cui hypostatice unitur, est commissa. Attamen Christum habuisse plures angelos tanquam ministros, patet ex Scriptura in Mysteriis Nativ., Passion., Resurr., et Ascensionis.

80. *Obj. I.* Sententia hæc originem habet ab *Ethnicis*; ergo indigna est Catholicis: ita Calvinus.

R. N. A. Injuriosam hanc obtreactionem jam prævertit EUSEB. CÆSAR. L. 13. de præpar. Evang. (p. 670.) qui cum dixisset, nos didicisse ex Scriptura angelum unicuique ad custodiam datum, probat Platonem et alios Ethnicos a Judæis acceperisse pleraque, si quæ dogmatibus Christianis similia traderent.

Inst. 1. Cum Calvinus. Hæc sententia extenuat gratiam Dei, cum majus beneficium Dei sit, et fiduciam hominum magis excitet, si dicatur, quod omnes angeli singulorum hominum curam habeant; ergo.

R. Dum propriam cujusque hominis curam quasi ex officio peculiari angelo tribuimus, non excludimus aliorum auxilium, qui ex munere universaliori aut charitate communi etiam eosdem homines juvent, ut ex Gen. 19. 17. Dan. 10. 13. aliisque locis Scripturæ constat. Unde ORIGEN. hom. 4. in Ps. 36. n. 3. (opp. t. 1. p. 673.) *Nunquam solus est justus; sed ne unius quidem, duorum vel trium tantummodo angelorum societate subnixus est; sed exercitus ei Virtutum cælestium præsto est.*

Inst. 2. Omnes homines possunt simul ab uno tantum angelo custodiri, sicut plura regna ab uno homine regi; ergo necesse non est singulis hominibus singulos dare angelos.

R. D. A. Spectando præcise virtutem angelicam C. Spectando convenientiam et suavem Dei providentiam, item auctoritatem Scripturæ et Patrum N. Sane unius homo non per se ipsum, sed per ministros suos regna gubernat.

81. *Obj. II.* Apostolus Hebr. 1. 14. aperte significat, solis prædestinatis deputari angelos, dum dicit: *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis;* ergo non omnibus etiam infidelibus, ac reprobis dantur.

R. D. A. Et Apostolus his verbis significat finem unicum N. Finem et intentionem principalem C. Hæc quippe custodia juxta D. THOM. est unum ex mediis ordinariis, ad salutem etiam reproborum sufficientibus, quos omnes Deus voluntate antecedente vult salvos fieri. Quamvis autem illi pereant ex sua malitia, tamen per angelos a multis malis retrahuntur, quibus aut sibi, aut aliis etiam prædestinatis et justis magis nocuissent. Adhæc sicut S. Paulus 2. Tim. 2. 10. dixit: *Omnia sustineo propter electos, licet omnibus serviret;* ita potuit dicere, angelos esse missos propter *salvandos*.

Inst. 1. BASIL. in Psal. 33. v. 8. HILAR. in Matth. 18. 10., CHRYS. ibid. (Hom. 60. n. 4.) et CYRILL. ALEX. cont. Julian. vel tantum dicunt, Sanctis
ii. p. 1.

dari angelos custodes, vel eos a peccatoribus recedere juxta illud Jerem. 51. 9. *curavimus Babylonem... derelinquamus eam.*

R. Prædicti Patres aliis in locis de custodia angelorum circa omnes universim loquuntur, unde dum alibi tantum meminerunt Sanctorum, non addunt exclusivam; aut dum dicunt, angelos a peccatoribus *fugari*, vel *recedere*, sensus non est, ac si curam eorum omnino relinquant, sed quod actualem operationem et exercitium custodiæ interdum remittant propter eorum incapacitatem vel indispositionem: id quod constat ex eo, quia Deus hos peccatores non deserit quoad auxilia sufficientia.

Inst. 2. Saltem Anti-Christo non dabitur custos angelus, cum a S. PAULO 2. Thessal. 2. 3. dicatur *homo peccati et filius perditionis*, atque a S. AUGUST. *totus a diabolo possessus*; ergo.

R. N. A. Nam, ut ait S. THOM., quantacumque Anti-Christi malitia et familiaritas cum diabolo futura sit, dabitur ei tamen custos angelus, qui illum abducat a multis malis fidelibus inferendis, ne noceat quantum vellet; et hoc modo angeli custodes reproborum *indirecte* cooperabuntur ad bonum electorum.

Inst. 3. Si omnibus omnino hominibus sui sunt tutelares angeli, ergo etiam infantibus.

R. Et hoc colligitur a SS. Patribus ex Matth. 18. 10.; an vero jam detur singularis custos existenti adhuc in *utero materno*; an præsit custos matris? disputant nonnulli. Porro, homines in *statu innocentie* etiam habituros fuisse angelos, affirmat D. THOM., eo quod ibi saltem insidiis dæmonum expositi fuissent.

Inst. 4. Dici non potest, *quinam angeli* mittantur in custodiam hominum, civitatum et regnorum; ergo eos mitti, pariter incertum est.

R. N. C. Major certitudo consequentis sat liquet ex allatis testimoniis; dein conveniunt Theologi custodiam particularem singulorum hominum angelis postremi ordinis infimæ Hierarchiæ commissam esse: aliqui *Archangelis* tribuunt curam personarum munere vel dignitate insignium; *Principatibus* autem communitatum tutelam; *Virtutibus* etiam et *Potestatibus* universalem quamdam custodiam concedunt: *reliquis vero superioribus* tam particularem, quam universalem negant, qui eos mitti a Deo nolunt. Quod autem singulis civitatibus, regnis et Ecclesiis deputentur angeli, colligi videtur ex Dan. 10. 13. et communis fidelium sensus est, S. MICHAELM esse custodem Ecclesiæ Catholicæ, sicut fuit Synagogæ. Demum definit hæc custodia post mortem, quia tum cessant pericula, ut asserit D. THOM.; quamvis non videatur negare, quod clientum suorum animas in Purgatorio solentur.

82. *Observa. Beneficia custodiæ angelicæ* ex Scriptura et Patribus collecta his præcipue continentur: quod excitent intellectum et voluntatem ad prosecutionem boni et fugam mali: quod pericula avertant: quod compescant dæmones tentatores, aut aliud malum machinantes: quod Deo offerant clientum suorum preces, reddendo illas suis precibus efficaciores: quod clientes pœna medicinali per morbos, infortunia etc. corripiant: quod clientum animas solentur in purgatorio, et plane purgatas ad coelum deducant.

ARTICULUS II.

DE OPERATIONIBUS ANGELORUM MALORUM.

§. I.

Quid, Quotuplex et Quomodo dignoscenda sit Tentatio diabolica?

83. *Nota.* Communiter receptum, ait SUAREZ, deputatum a Lucifero esse cuilibet homini angelum, Deo id permittente. Fundari id videtur in Scriptura, 2. Cor. 12. 8. *Datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Satanae, qui me colaphizet*: Joan. 13. 2. dicitur de Juda: *Cum diabolus jam misisset in cor*: Psal. 108. 6. *Diabolus stet a dextris ejus* etc. Idipsum asserunt plura SS. Patres et Scriptorum Ecclesiastici. *Tentare* juxta S. THOM. est, sumere experimentum de aliquo: unde pro fine proximo habet scientiam, quam quis cupit per experimentum capere: pro fine ulteriore bonum quodpiam vel malum haberi potest; sic homo dicitur tentare, subinde tantum, ut sciat; subinde, ut juvet vel noceat: Deus tentare dicitur, ut sciat, eo scilicet modo loquendi, quo dicitur scire: caro et mundus dicitur tentare instrumentaliter, in quantum, scilicet, ex eo quod homo sequitur vel contemnit concupiscentias carnis, et prospera aut adversa mundi, potest cognosci qualis sit homo: diabolus tentat, explorando interiorem hominis conditionem, ut noceat, scilicet alliciendo ad vitium, ad quod homo magis pronus est.

84. *Dico I.* Tentatio diabolica est conatus occultus dæmonis in animam, quo ipsam sollicitat impellitque ad malum. Dicitur 1º. *Conatus occultus*, quia sæpe occulta est tentatio ratione principii, an scilicet a Deo, vel a diabolo procedat. 2º. *Dæmonis*, quia non omnis sollicitatio ad malum proxime et immediate procedit a diabolo, cum quis sæpe tentetur a propria sua concupiscentia aut homine; quamvis dici possit, omnem tentationem habere ortum a dæmone, quatenus fuit causa, cur primus homo laberetur, ex quo lapsu omnia alia peccata et tentationes tanquam pœnæ primi peccati ortum traxisse dicuntur. 3º. *In animam*, quia licet immediate per homines aut per concupiscentiam mala homini externa inferat, ut Jobo factum legimus; tamen illius animam petit. 4º. *Quo sollicitat ad malum*: licet enim non semper aperte mala proponat, tamen, dum adoritur homines vel sub specie necessitatis, vel etiam sub specie boni, quarum prima humana, altera pseudo-angelica tentatio dicitur, semper malum intendit, et ad illud hominem tandem deducit; inde Joan. 8. 44. *homicida ab initio*, et Matth. 4. 33. *tentator*, per antonomasiam appellatur.

85. *Dico II.* Tentatio Diabolica est quadruplex: 1º. *Ratione finis*, alia est tentatio probationis, quæ fit ad experiendum præcise quid in homine sit, vel lateat; et talis est diabolica ex fine immediato: alia subversionis, quæ ad seducendum hominem in peccatum spectat, et talis est omnis diabolica ex fine mediato et ultimo: alia probationis et subversionis simul, et talis fuit, qua Christum diabolus tentavit. 2º. *Ratione objecti*, alia est bona, mala, indifferens, prout nempe de se objectum est; diabolica tamen nun-

quam est bona vel indifferens, cum semper intendat saltem ultimo peccatum. 3°. Ratione *principii* est vel immediata per ipsum dæmonem, vel mediata, mediante homine, aut hominis concupiscentia propria a diabolo commota. 4°. Ratione *modi* est vel violenta, quæ fit cum impetu ac vehementia quadam, ita tamen, ut tentationis nomen retineatur: vel illusoria, quæ cum arte et astutia fit, qua animus sub specie boni subtilius in malum inducitur.

Ad utramque reduci solet *apparitio* seu manifestatio spiritus homini se insinuantis: alia est *intentionalis*, qua spiritus in solam mentem illabatur; hæc Deo tantum competit, et habetur in visione beatifica: alia *imaginaria*, qua spiritus formas et imagines sensibus interioribus objicit; sic Deus sæpe viris sanctis in somno per angelum apparuisse legitur in Scriptura, et dæmones magis ac veneficis inter dormiendum sæpe illudunt: demum alia *corporalis*, qua sensibus externis sese ingerit spiritus, ac vero corpore utitur, diciturque assumptio corporis: hac usum fuisse dæmonem in tentatione Christi communiter docent Interpretes, etiamnum subinde uti referunt historiæ plurimæ.

86. *Dico III.* Ad dignoscendum, an cogitatio aliqua a bono vel malo angelo immissa sit, servire possunt regulæ, quas S. Ignatius in libello Exercitiorum de *spirituum Discretionem* tradit, quarum 1^a. est vera lætitia spiritualis et consolatio sine ulla prævia causa a Deo infusa animo; distinguendum tamen inter hoc tempus consolationis et illud, quod eam subsequitur, quia in posteriori sæpe ex habito discursu et iudicio proprio, boni aut mali spiritus instinctu quædam sentire possumus; unde ante discutienda, quam recipienda sunt. 2^a. Ubi aliqua causa consolationis præcessit: ea tam a malo, quam a bono angelo advenire potuit; quinam auctor fuerit, cognosci debet ex fine, qui si bonus, bonum, si malus, malum designat. 3^a. In omni cogitatione examinanda sunt, principium, medium et finis, quæ tria si recte habeant, boni angeli inspirantis argumentum præbent. 4^a. Moris est diabolo, ut in *angelum lucis* se transfigurans, cognitis piis animæ votis primum obsecundet, mox animi sanctitatem amoveat, et demum ad per-versa illam alliciat; quod ubi quis adverterit, juvat totam actionem retexere, et ordinem ac methodum notare, ut hoc experimento cognitæ fraudes facilius deinceps cognoscantur. 5^a. Uterque spiritus diversimode animis in via virtutis progredientium se insinuat, *bonus* quidem leniter, placide ac suaviter: *malus* implacide ac violente. Oppositum evenit illis, qui ruunt in dies in deterius.

87. *Dico IV.* Apparitiones dæmonum ab apparitionibus angelorum bonorum distingui optime possunt ex operatione, oratione, causa et religione; hinc 1°. Commercium carnale, voces blasphemæ, abusus rerum vel verborum sacrorum, perturbatio animi relicta, aliæque mala malum spiritum arguunt. 2°. Sermo arrogans, fastuosus, jactabundus, falsa veris permiscens, prava vel bona non bene consulens, dæmonem prædit. 3°. Si spiritus se fingat ab hominibus coactum, si finem denique malum proferat, vel inducat, est annumerandus malis. 4°. Si ad signum Crucis, invocationem Dei, Sanctorum reliquias aliæque sacra fugiat etc. Dixi, *optime*: quamvis enim

ex historiis pateat, quod dæmones ordinarie animalium diversissimorum, non tamen agni vel columbæ specie appareant: vel si in forma humana se exhibeant, vel defectuosum, vel discrepans, vel deforme præferant; tamen eos in forma pulcherrima et perfectissima, imo sub schemate angeli aut Christi apparuisse legimus.

§ II.

Quid, Quotuplex et Quomodo dignoscenda sit Possessio diabolica?

88. *Nota.* Certum est 1°. contra *Levinum Lemnium*, dæmones vere possidere quosdam homines, ut non tantum ex *Judæorum* opinione, et *historiarum* fide, sed ex plurimis locis Evangelii constat. 2°. Potestatem ejiciendi dæmones datam fuisse Apostolis et Discipulis Christi, ut constat Luc. 9. 4... 10. 17.: imo omnibus Christi fidelibus, sub nascentis Ecclesiæ initium, ut constat ex Marc. 16. 17., et testatur *TERTULL.* Apolog. c. 23. et ad Scapul. c. 2. 3°. Contra *Calvinum*. L. 4. Inst. c. 19. peculiare munus ordinis Ecclesiastici ad hoc opus fuisse institutum, quo insigniti Exorcistæ vocantur; prout testantur SS. Patres apud *BARON.* Porro sicut arreptitii energumeni ac dæmoniæ pro iisdem sumi consueverunt, sic etiam *possessio, obsessio* ac *in sessio* pro eodem sæpe usurpantur, quamvis in utrisque differentia sit.

89. *Dico I.* Possessio dæmoniæ est potestas dæmonis ad nocendum homini, cum actuali vel habituali vexatione, tum negativa, tum positiva conjuncta. Dicitur 1°. *Potestas* sive dominium in hominem permissum illi a Deo. 2°. *Ad nocendum homini*, quia si ejusmodi possessio non semper in damnum animæ, saltem in corporis detrimentum vel dolorem cedit. 3°. *Cum actuali vel habituali vexatione conjuncta*, tum quia nocendum infert, tum quia non continuo actualis vexatio requiritur. 4°. Vexatione tum *negativa*, tum *positiva*: ubi per primum intelligitur impedimentum quoddam facultatum sive internarum sive externarum hominis: per secundum dolores interdum graves facultatibus utrisque a dæmone impressi, quibus etiam potest addi impulsio quædam vehemens ad malum in quibusdam.

90. *Dico II.* Possessio dæmoniæ dividitur in *obsessionem* vel *circumsessionem*, et *in sessionem* sive *possessionem* strictè talem. *Obsessio* vel *circumsessio* est possessio dæmoniæ modo explicata, sine inhabitatione dæmonis in energumeno, ita ut, quamvis in ejusmodi homine habeantur iidem fere effectus, qui sunt in dæmoniaco, tamen illi procedant a principio extra corpus commorante; et hinc dæmon aliquando sub specie sensibili canis, lupi, felis, serpentis corpus implicantis, vel auræ blandioris carnem demulcentis se exhibet obsessis; Deus tamen plerumque in hoc statu ita moderatur dæmonis potentiam, ut libertatis usum homini non adimat.

In sessio vel *possessio* strictè talis dicit inhabitationem dæmonis in energumeno: ad hanc autem pertinet: 1°. Ut revera et *αὐτοπροσώπως* adsint et insint homini dæmones, non quidem ut accidentia, aut ut partes totius, sed ut motores. 2°. Ut habeant vim et facultatem utendi facultatibus hominis, quæ quamvis pro Dei permissione jam major, jam minor est, plerumque

homini libertatis usum saltem in quibusdam adimit. Ut id tamen, quod in dæmoniaco fit, non ab anima naturaliter, sed a spiritu corpus occupante oriatur: ut cum spiritus ille adventitius lingua energumeni loquitur et respondet etc.

91. *Dico III.* Possessio ratione adjunctorum varie dividitur: 1°. Ratione *principii* in simplicem, ubi unicus dæmon hominem possidet, et in multiplicem, ubi plures dæmones insunt, quemadmodum de Magdalena constat Luc. 8. 2., eam habuisse septem dæmonia. Quamvis enim S. GREG. P. et THEOPHYL. hæc dæmonia metonymice pro vitiis sumant, tamen contextus et alia Scripturæ loca de dæmone *assumente septem spiritus nequiores se*, et nomen *legionis* habente, sermonem proprium hic esse testantur. 2°. Ratione *subjecti* in particularem, ubi dæmon unam tantum hominis partem invadit, et in totalem, ubi totum hominem invadit. Huc referri etiam potest possessio spiritualis et corporalis: et *spiritualis* quidem dicitur illa, qua mens et anima hominis tantum impletur malitia diabolica; quæ possessio Judæ post acceptam buccellam panis tribuitur: *corporalis* vero dicitur, qua homines quidem vexantur in corpore, secundum mentem autem et voluntatem non sunt diabolo obnoxii; et hujusmodi videtur fuisse illius Corinthii, de quo 1. Cor. 5. 3. et 5. PAULUS: *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens, eum, qui sic operatus est... tradere Satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die D. N. J. C.* Imo hoc genus diabolicæ vexationis permissu Dei nonnunquam etiam justis et sanctis contigisse, Scriptores testantur. 3°. Ratione *temporis* in continuam, ut habetur in muliere incurvata Luc. 13. 41. et interpolatam, v. g. in Saule. 1. Reg. 16. 23. 4°. Ratione *modi* in violentam, e. g. in filia Chananeæ Matth. 15. 22. et in illo Lunatico Marc. 9. 17. et in mitiorem, v. g. Luc. 8. 2. in Magdalena, quantumvis septem dæmoniis subdita.

92. *Dico IV.* Possessi a dæmone per *certa signa* dignosci possunt: eorum quædam tantum suspicionem pariunt, qualia sunt mores ferini et agrestes, somnus gravis, consecratio sui facta dæmoni, invocatio dæmonis ad se auferendum, furia, etc.: nam possunt ista convenire etiam non possessis. Quædam conjecturam vehementiorem faciunt, ut barbaræ et insolitæ vociferationes, ululatus belluini, horribilis vultus, stupor membrorum, ingens inquietudo, vires corporis facultatem hominis excedentes, varia contorsio et projectio, queis sibi adimere vitam possessus tentat. Quædam aliquam certitudinem habent, ut si extra suspicionem miraculi linguas peregrinas loquantur, legant, scribant, cantent artificiose, aut de rebus sublimibus erudite respondeant, quas nunquam didicerunt: si secreta, peccata occulta, res in distantia *gestas* sine suspitione pacti diabolici manifestent: si ubi vexatio desinit, nesciant respondere de iis, de quibus locuti sunt antea: si omnino, ne loquantur, prohiberi nequeant: si jussi invocare nomen Dei, Jesu, alicujus Sancti, aut recitare orationem devotam, id non valeant: si treparentur, aut impatientes fiant, adhibitis SS. *Reliquiis, Agno Dei, Cereis benedicto* etc.: si non ferant exorcismos, ad ingressum Ecclesiæ tumultuentur, Evangelium audire horreant, Divinis interesse vix cogi possint etc.

93. *Observa.* Causa Possessionis est triplex: *Moralis* vel peccatum, vel defectus baptismi, vel naturæ conditio, quæ cum fuerit dæmoni subdita, non statim in integrum liberatur; unde teste AUGUSTINO homines nunquam sine propria vel aliena culpa a dæmone corripuntur; *Physica* est Deus dæmone tanquam ministro justitiæ utens: subin viri Sancti, ut Paulus 1. Cor. 5. 5., nonnunquam etiam magi, qui Deo permittente dæmones immittunt; *Finalis* a Deo intenta, est bonum et emendatio Energumeni, vel ejus probatio ad meritum, item confirmatio existentiæ spirituum, virtutis Eucharistiæ et Sacramentalium, ac quandoque potestatis Ecclesiasticæ: a dæmone autem intenta, est odium in Deum et hominem ac ruina salutis humanæ. Quid Exorcistæ sive adjuratori dæmonum sit observandum, docent *Libri Rituales* Diocesium ac Theologi, inter quos uberrime hanc materiam tractat PETRUS THYRÆUS S. J. in libro, qui inscribitur: *Dæmoniaci cum locis infestis et terriculamentis nocturnis.*

§ III.

An dentur veri Energumeni?

94. *Nota.* Veteres Religionis Christianæ hostes cum negare non valent, dæmones a Christo, Apostolis aliisque Sanctis sæpe depulsos, id operationi cuidam magicæ, vel arcanorum verborum aut rerum naturalium virtuti tribuebant, ut prodigiorum vim eluderent. Moderni vero *Critici* Heterodoxi et Orthodoxi *Energumenorum* credulitatem rident, omnia, quæ de iis in Scriptura referantur, phantasiæ ludibriis, vulgi præjudiciis, morbis aut aliis causis naturalibus adscribentes. Hos quidem ex parte supra confutavimus, hic quoque validius refellendos.

95. *Dico.* Dantur veri Energumeni.

Prob. Potestas expellendi dæmones ab obsessis, a CHRISTO, APOSTOLIS, et in ECCLESIA semper exercita, supponit dari reipsa obsessos: atqui hæc potestas a CHRISTO, APOSTOLIS et ECCLESIA vere fuit exercita; ergo dantur veri Energumeni.

Prob. min. I. Luc. 11. 14. etc. Christus in argumentum divinitatis suæ adducit potestatem pellendi dæmones, et eandem Apostolis communicaturum se profitetur Marc. 16. 17. *In nomine meo dæmonia ejicient*: quam etiam non Christus solum, sed et Apostoli palam exercuerunt, Luc. 10. 17. Et Christus quidem ipsos dæmones allocutus, illis imperavit, minatus est, silentium indixit, jussit e corporibus facessere, vereque expulsos restituta valetudinis, quam mali illi hospites corruperant, indicio ad sensum demonstravit: sed hæc omnia non possunt sine summa temeritate ad mentis ludibria, vitium cerebri, aut errantis phantasiæ sinistram persuasionem refundi, tum quia alioqui Christus et Apostoli scientes et volentes reliquissent populum in communi et erronea persuasione: tum quia verba Scripturæ clara et aperta in sensu proprio et obvio accipi debent, quando, ut hic, possunt sine absurdo: tum quia alias Ecclesiæ maximum decus, et nota characteristica, atque argumentum veritatis fortissimum sine fundamento eriperetur.

II. Hoc ipso, quod potestas hæc in *Energumenos* data sit a Christo Apo-

stolis, data fuit Ecclesiae, quod asseverant SS. Patres : JUSTIN. in Dial. cum Tryph. n. 30, ait : *Adjutorem et redemptorem eum (Christum) vocamus. Cujus quidem vel nominis potentiam daemones ipsa perhorrescunt, ac hodie per nomen Jesu Christi..... adjurata subjiciuntur.* CYPR. in L. ad Demetr. n. 13. inquit : *Si audire eos velles et videre, quando a nobis adjurantur et torquentur spiritualibus flagris, et verborum tormentis de obsessis corporibus ejiciuntur.*

III. Quod Ecclesia exercere possit, exercuerit et exerceat hanc potestatem, patet ex ordinario et antiquissimo munere *exorcizandi*, et coercendi daemones : de quo testantur antiquissima Concilia, ANTIOCH. can. 10. (Labb. t. 2. p. 566.), CARTHAG. IV. cap. 7. (ibid. p. 1200.) etc. atque in hunc finem Exorcismi in *Ritualibus* ab Ecclesia praescripti sunt.

96. *Obj. I.* Daemones agere non possunt in corpus, cum sint *spiritus*; ergo nec possibiles sunt veri daemones.

R. N. A. Actio daemonis in corpus, quando Deus eam permittit, non magis repugnat, quam unio *animae spiritualis* cum corpore, ac mutua motuum et sensuum inter utrumque affinitas. Numquid Deus etsi *simplicissimus spiritus*, movet corpora? ergo non repugnat notio spiritus et activitas in corpus : imo haec tanquam perfectio spiritui creato omnino tribuenda est. Vide supra num. 36.

Inst. Si daemones vere possunt agere in corpora hominum, ergo in uno eodemque homine duo essent principia agendi, indole ac voluntate contraria : hoc dici non potest ; ergo.

R. D. M. Ita tamen, ut daemones nec cogere possint voluntatem daemones, neque is semper a daemone agatur et moveatur C. Secus N. Daemones tantum sollicitant voluntatem obsessi, sicut passiones et objecta eandem ad diversa trahunt, manente semper potentia resistendi.

Inst. 2. Deus nequit permittere daemones tantam potestatem sine scandalo pusillorum, maxime in *infantes* statim post baptismum, et *justos*, quorum tamen plures obsessi leguntur ; ergo.

R. N. A. Permittit Deus ejusmodi infestationes ex causis saepe occultis, semper tamen justissimis : subin ut manifestentur opera Dei, prout Christus dixit de *cæco nato* Joan. 9. 3. Potentia etiam et misericordia Dei in liberandis ejusmodi miseris : praeterea ad exercendam subin virtutem obsessorum ; inde ergo nullum timendum est scandalum.

97. *Obj. II.* Energumeni, quorum meminit Evangelium, laborarunt vel pertinaci quodam morbo, vel phantasiae vitio, vel anxietate conscientiae ob peccata commissa : atqui hos, salva Evangelii veritate, Christus a daemone liberasse dicitur, curando morbum, corrigendo phantasiae, peccata remittendo, quia Scriptura se accommodat communi persuasioni vulgi, quam utpote saluti haud noxiam corrigere Christus non debuit ; ergo.

R. N. M. Si ita licet pro arbitrio torquere Scripturam, maxima prodigia in eadem relata redigi poterunt in censum rerum naturalium, e. g. *transfretatio maris Idumæi, resuscitatio Lazari*, dicendo, Hebraeos alveum duntaxat in aestu maris *arentem* transiisse, *Lazarum* symptomate quodam *apoplexiae* credulis spectatoribus imposuisse ; hoc si negent Adversarii propter

circumstantias in Scriptura expressas, nos propter easdem pariter rejicimus novam hanc et inauditam explicationem. Saepe, non semper, *obsessio* conjuncta est cum ejusmodi malis physicis, Melancholia et Hypochondria : sed diversa sunt et separabilia mala ; unde Christus semper daemones tanquam mali auctorem prius expulit, dein et malum sustulit : e. g. Luc. 9. 43. increpavit Jesus spiritum immundum, et sanavit puerum.

Inst. 1. Exorcismi Ecclesiae sunt tantum *piæ preces* cum invocatione nominis J. C. ad ferendum ægris solatium in corpore, et recte sentiendi facultatem in mente ; ergo ex illis nil probatur. R. N. A. Exorcismi in *Rit. Rom.* ponuntur hoc titulo : *de Exorcizandis obsessis a daemone* ; in iis adjurantur ipsi daemones, non morbi : virtus expellendi daemones a vere obsessis, etiam ab Ecclesiae hostibus agnita, semper fuit in Christi Ecclesia tanquam nota veræ Ecclesiae ; ergo Ecclesia judicat, utique non erronee, dari Energumenos ; et quis Ecclesiae filius, nisi perduellis, neget ?

Inst. 2. Sententia negans *Energumenos*, magis restringit potestatem daemonis, vulgi superstitionibus minus favet, et ambigua prodigia summovet e religione, ut veris probatisque firmior fides asseratur ; ergo est preferenda.

R. N. A. Nam potestas daemonis satis est restricta per hoc, quod nihil possit Deo non permittente : quod ad solum Christi, Apostolorum et Ministrorum Ecclesiae imperium abscedere cogatur ; atque de his plura vide supra num. 40. et 41.